


T E R R I T O R I U M
B R I X I E N S E,
incolis
I L B R E S C I A N O.

Finitimi.



Ger Brixienfis ad orientem habet lacum Benacum, quem Veronenses accollunt: ad meridiem Cremonenses & Cremonenses sunt; ad occidentem ultra lacum Sebinum Bergomates: ad septentrionem versus ortum Tridentini, versus occisum autem Rhæti.

Brixia.

Brixia, vulgo nunc Brescia & Bressa, Cenomanorum olim caput, civitas est pervetusta, dives, populosa, ampla, validis munita muris, arce superbiens inexpugnabili: pulcra ædificiis cum publicis, tum privatis. Livio quondam, Catullo, Straboni, Plinio, Ptolemæo, & aliis autoribus, Itinerariis item Romanis, & innumeris inscriptionibus antiquis memoratur. Nomen, uti & Bergomi, mere Celticum est, à situ ad pontem amnis urbi inditum: ut Germaniæ lib. I, cap. VII, docet Cluverius. Ad situm pertinent hæc Catulli Poëtæ:

*Atqui non solum hunc se dicit cognitum habere
Brixia, Chinae supposita specula;
Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Verona mater amata mea:
O dulci jucunda viro, jucunda parenti
Salve; teque bona Iuppiter auctet ope.*

Sed an satis sine mendo hoc vocabulum percurrit, equidem nescio, inquit Cluverius: quando Mela à mille passibus urbem præfuit. unde suspicor, scripsisse ipsum Catullum præcurrit. Quum amniculus Gartia urbem hodie percurrat; quidam hunc antiquorum Melam interpretati sunt. Verum hos aperto testimonio redarguit Virgilii commentator Phylargirus; ita scribens: *Mela amnis in Gallia Cisalpina, vicinus Brixia, oritur ex monte Brenno.* Brennus hic mons vocatur nunc vulgo Monte Maniva. At ipse amnis quum hodie superiore sui parte ab eis, qui apud Collium, Boyenium, Gardonem, & aliis locis in L amplius officinis ferri metallis operantur, in multos rivulos atque canaleis diducatur; communis ejus nativusque alveus circa urbem totus plerumque aret. Sed ad urbem. Castrum habet munitissimum, è vertice urbem despicens, & egregio firmatum ab Venetis præsidio, quod Catullus innuit Chinae ista specula. Templâ præterea sunt magnifica; monasteria

Italia.

stupenda; hospitale pulcrum. In palatio Capitanei hæc leguntur:

*Hic locus odit, amat, punit, conservat, honorat;
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos.*

Templum & Episcopi palatium, quin tota civitas, ejusque territorium, omnia inquam passim lectissimis marmorum inscriptionibus, statuis, statuarum titulis & elogiis, variorumque epitaphiis sunt plena. Incolæ locupletes, lauti, nobiles, solertis ingenii. Familiæ nobiles ibi non paucæ; in quibus principem habent locum Gambaræ, Martinengi, Madii, Advocati, Averoldi, Luzagi & Emili, qui ab Romanis orti. Fidem coluisse legitur perpetuo populi Romani; præsertim bello Punico post cladem ad Trebiam amnem ab Hannibale illatam. Colonia deducta est cum reliquis Transpadanis ab Cn. Pompejo Strabone, anno 10 CLXV; & postea cum aliis ab C. Cæsare Dictatore civitatis jure donata. Deinceps in Imperatorum fuit potestate; quamdiu salva stetit sua Romano nomini majestas. Post ab Radagiso Gothorum rege incendio vastata, anno 412; hinc ab Attila Hunnorum principe subversa, sed refecta anno 452, imperante Martino: mox ab Langobardis possessa usque ad captum ab Karolo Magno Desiderium: quo extincto, successit Francorum imperium. Inde ab Othone Saxone Cæsare libera Imperii Romani civitas est facta, anno 1136: mox ab Henrico VI directâ, muris nudata, suisque spoliata privilegiis: ab Scaligeris, Veronæ Ducibus, opera Guelforum est capta. His successerunt Vice-comites, Mediolani Principes; à quibus sæpe vexata ad Venetos defecit; quibus ab Gallis rursus adempta, paulo post iis est restituta. Opibus hodie floret, urbis Venetæ Sponsa cognominari solita. Fidem Christianam suscepisse traditur ab D. Apollinari, Ravennatum Præsule. Episcopatus habet titulum. Viros genuit Brixia præstantissimos; Martinum Colocerum, martyrem; Corradum Donatum & Sebastianum Madium, Sanctorum numero adscriptos: Vbertum Gambaram, Cardinalem: Gaulam, ex Ordine Prædicatorum, & Gerardum Madium, patriæ Episcopos; Altobellum Averoldum, Antistitem Polanum: item Theologos, Albertum Mandugasinum, qui floruit circa annum ab Christo nato 1311; Bernardinum Gado-
lium, Abbatem Camaldulensem, Lucam Bernardum, Iacobum Brixianum, Gratianum &

Ff

Fran-